



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Art. 1. Vtrum Christus sit Sacerdos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



men non debere ita rogare: *Christe ora pro nobis*, sed, *miserere, exaudi* &c. partim propter periculum Arii & Nestorij; partim quia oratio dirigitur ad personam; Christi autem persona est Verbum diuinum, cuius non est orare, sed misereri, adiuuare.

His adde; Sicut Principes compellamus titulo honorificentiore; ita id quod perfectius est, Christo tribuendum est. Qui tamen nouit Christum

apprehendere ut hominem, & ut Deum, recte potest ab eo petere ut orationes ipsius Patri offerat, easque cum suis coniungat: ut aperte colligitur ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 8: imò rogare ut nobis meritorum suorum efficacem applicationem impetret: ut colligitur ex supra dictis.

Q V Æ S T I O X X I I.

De Sacerdotio Christi.

In Sex Articulis diuisa.

ARTICVVS I.

Vtrum Christus sit Sacerdos?

**R**espondetur; Christus verè & propriè est Sacerdos. Est fidei. Et probat hoc Apostolus totà penè epistolà ad Hebræos, potissimum cap. 5. 8. 9. 10.

Pro quo Notandum; Sacerdotè constitui mediatorum inter Deum & homines; ut colligitur ex Apostolo ad Heb. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs que sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Nam populus per illum colit Deum; & Deus vicissim per illum sanctificat & docet populum.

Vnde Sacerdotis est duplex munus, scilicet ad Deum, & ad Populum. Ad Deum munus eius est, orare pro populo, populique vota representare, & sacrificiū pro populo offerre. Idque triplici fine: vel ad peccatorum expiationem; vel ad beneficiorum impetrationem; vel ad gratiarum actionem pro beneficijs acceptis. Cultus autem Dei, est intrinsecus & immediatus finis omnis sacrificij. Ad populum autem munus eius est: Primò, Populum instruere in rebus ad cultum diuinum & salutem pertinentibus. Secundò, Eundem legibus gubernare, & dirigere ad finem spirituale; id est, ut Deo sit acceptus, cœloque idoneus. Tertio, Eundem sanctificare, iuxta facultatem & modum Sacerdotij. Quarto, Iudicare de controuersijs ad religionem & cultum pertinentibus.

Sed quamuis hæc omnia ad munus Sacerdotis, eius scilicet in quo totius Sacerdotij est potestas, pertineant; tamen specialiter sacrificium est ipsi proprium, tamquam primarius & specialis actus, nulli alij cōueniens. Accipitur autem nomen Sacrificij dupliciter. Primò, Generatim & improprie; ut sacrificium dicatur omne id, quod ad honorè Dei refertur, siue sit actus virtutis internus, sicut contritio, humilitas; Psal. 50. v. 19. *Sacrificiū Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatū.* Siue externus, ut mors Martyrum, Sap. 3. Laudes diuinae, Ad Heb. 13. Quo modo definitur ab Augustino lib. 10. de Ciuit. c. 6. *Sacrificiū est omne opus bonum, quod fit, ut sanctā societate Deo inhaereamus.* Huic Sacrificio generali, respondet etiā Sacerdotium generale commune omnibus Christianis. Apoc. 1. v. 6. *Fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo.* 1. Petri 2. v. 5. omnes fideles vocantur *Sacerdotium sanctum*, qui offerant hostias spirituales

Deo. Item *Sacerdotium regale.* v. 9. Secundò, Accipitur Sacrificiū speciatim & proprie pro externa oblatione Deo facta per mysticam transmutationem, in protestatione summi dominij, à quo omne bonum nostrum pendeat: & distinguitur à simplici oblatione: sicut dictum est lib. 2. de Iustit. & Iure cap. 38. dub. 2.

Est autem hoc Sacrificiū, vel Priuatū; quod aliquis sua voluntate offert Deo pro se; quale forte Agnus Paschalis. Vel Publicū; quod ex diuina ordinatione mediata (per lumē rationis naturalis) vel immediatā offertur nomine totius populi: & hoc propriissimè dicitur sacrificiū, cui respondet propriissimè dictum Sacerdotium; ut patet ad Heb. 5.

Hoc Sacrificiū propriissimè continet Christus, idque intendit D. Thomas hoc Articulo. Probatur Primò, *Quia Christus constitutus est à Deo, ut ipsum offerret Deo oblationem & hostiam in odorem suauitatis,* ad Ephes. 5. v. 2. Secundò, *Quia in vltima Cœnā obtulit verum & proprie dictū sacrificiū; quod etiam Ecclesiæ suæ faciendum tradidit, ut eruditè Concilium Tridentinū sess. 22. cap. 1. Et docet communis Patrum consensus.* Tertio, *Quia in ara Crucis verum ac proprium sacrificium obtulit.* Patet ex Apostolo c. 9. & 10. ad Hebræos. Et docet D. Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 6. & 20. & lib. 4. de Trinit. cap. 14. ubi inter cetera ait, *Eum qui offert, quod offertur, & pro quibus offertur; esse unum.* Idem docet D. Thomas infra q. 48. a. 3. Quarto, *Quia quotidie offert verum Sacrificiū per manus ministrorum suorum: ut docet Concil. Trident. sess. 22. cap. 2. nam ipse est primarius offerens in omni legis nouæ Sacrificio.*

Dices; Christus non interfecit seipsum, nec aliquo modo mysticè immutauit in Passione: ergo nec sacrificauit proprie.

Respondeo; Non requiritur ut occisio hostiæ fiat ab ipso Sacerdote physicè & posituè: sed satis est ut moraliter; nempe imperio, vel liberà permissione. Et ita Christus seipsum sacrificauit. Primò, Quia cum haberet vitam in sua potestate, eā tormentis mortiferis exposuit. Secundò, Quia suos interfectores, cum facillimè posset, non impediuit, sed permisit eorum malitiā vtilis esse. Tertio, Quia cum post omnia tormenta haberet in potestate vitam suam, permisit eam tormentis vinci & interimi, eam mente Patri offerens in cultum, & satisfactione peccatorum. Vnde Ioan. 10.

M m ij v. 17.

Munus Sacerdotis.

Ad Deum.

Ad Populum.

Sacrificium est illi proprium.

Nomen sacrificij accipitur laud.

Sacrific.

Sacrificiū publicum propriè Christo conuenit.

4

Qualis occisio hostiæ fieri debet per sacerdotem.



v. 17. dicit se ponere animam suam. Et c. 17. v. 19. *Se sanctificare seipsum pro Apostolis; id est, sacrificare. Secus est de Martyribus, qui non habebant vitam suam in potestate: nec ipsi erant à Deo instituti Sacerdotes ad talem hostiam offerendam.*

*Martyros seipsum non sacrificant.*

DVBIVM I.

*Vtrum Christus, ut homo, An ut Deus, sit Sacerdos?*

*5 Calvinista.*

*Est sacerdos ut homo.*

**R** Espondeo, Hæretici huius temporis, præsertim Calvinistæ, dicunt Christum, quatenus Deus est, esse Sacerdotem: humanitatem autem esse hostiam. Vtrumque falsum est: nam non erat Sacerdos, nisi secundum naturam, qua meruit & satisfecit: satisfecit enim & meruit actu sacrificandi. Atqui non meruit nec satisfecit, per diuinam naturam, ut supra q. 19. dictum est: quamquam estimatio meriti & satisfactionis, à diuinitate Personæ dependit, tamquam à principio quod operatur. Deinde; Sacerdos necessario includit naturam Deo inferiorem; nam sacrificare, est Deum colere: Christus autem ut Deus, non erat naturæ inferioris, ut posset Deum colere. Ipsum tamen Verbum potest dici Sacerdos per communicationem idiomatum. Ut verò omnis suspicio erroris vitetur, melius est addere determinationem, secundum naturam humanam.

*Ut totus Christus, est victima.*

Humanitas etiam proprie non erat victima, sed totus Christus. Patet ad Ephes. 5. ad Heb. 9. & 10. & ex D. August. lib. 4. de Trin. c. 14. Nam Christus seipsum obtulit, non solam carnem. Et sicut Deus rectè dicitur mortuus, ita potest dici victima & sacrificium.

DVBIVM II.

*Quando Christus accepit Sacerdotij dignitatem?*

*6 Sacerdos ab initio conceptus.*

**R** Espondeo, In primo momento Conceptionis: natus enim est Sacerdos, & mediator, & Saluator generis humani. Ut patet ex nominis ipsius impositione. Vnde hoc non meruit, sed merito supponebatur; sicut & esse Caput. Confirmatur; Sacerdotium in Christo, præter vnionem hypostaticam, & dona habitualia, quæ ipse non meruit, nihil ponit in ipso, quam moralem quandam potestatem ex deputatione diuinâ prouenientem. Atqui ab initio ad hoc deputatus fuit ex diuinâ benignitate, ut seipsum pro nobis offerret: ergo &c. Vnde statim hoc munere fungi cepit, mente seipsum offerens, variamque sanctificationem operans, tum circa Matrem, tum circa Ioannem Baptistam, tum circa Elizabetham, & alios: & progressu temporis illustriores Sacerdotij functiones pro rerum opportunitate edidit.

ARTICVLVS II.

*Vtrum Christus simul fuerit Sacerdos & Hostia?*

*7*

**R** Espondetur Affirmatiuè. Et Patet ex Apostolo ad Ephes. 5. v. 2. Dilexit nos, inquit, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis.

*Fuit Hostia tripliciter.*

Notandum est; Esse triplicem hostiam, scilicet Pro peccato, Pacificam, & Holocaustum. Et hoc triplici modo Christus fuit hostia. Nam obtulit se

& in remissionem peccatorum nostrorum; & ut pacem haberemus cum Deo; & ut tandem integrè spiritus noster cum Deo coniungeretur. Vide D. Tho.

ARTICVLVS III.

*Vtrum effectus Sacerdotij Christi, sit expiatio peccatorum?*

**R** Espondetur; Expiatio peccatorum & secundum culpam, & secundum pœnam, est effectus Sacerdotij Christi. Patet hoc ex dictis de Christi merito. Vide D. Thomam.

ARTICVLVS IV.

*Vtrum effectus Sacerdotij Christi, etiam ad Christum pertinuerit?*

**R** Espondetur; Præcipuus effectus Sacerdotij, quæ Sacerdotium, non peruenit ad Christum: quia hic effectus est expiatio peccatorum. Quod intellige in statu naturæ lapsæ. Alij autem effectus potuerunt ad ipsum peruenire: ut gloria corporis, consummatio beatitudinis, & omnis externa gloria. Circa solutionem secundi Argumenti: Notandum est; Sacrificium ex opere operato non solum esse Satisfactorium, seu Propitiatorium, licet hic sit eius principalis effectus quæ Sacerdotium est; (quo modo intellige quod hic ait D. Thomas:) sed etiam Impetratiuum gratiæ, & gloriæ. Et hoc modo poterat effectus Sacerdotij Christi peruenire ad ipsum Christum, non solum ex opere operantis; id est, ratione deuotionis ipsius offerentis; sed etiam ex opere operato; id est, ratione excellentiæ operis externi.

*9 Effectus quidam Sacerdotij ad Christum peruenit.*

ARTICVLVS V.

*Vtrum Sacerdotium Christi permaneat in æternum?*

**R** Espondetur; Sacerdotium Christi esse æternum. Primò, Quatenus virtus & effectus Sacerdotij Christi manet in æternum; quia importat nobis bona æterna. Secundò, Quia nullum aliud Sacerdotium succedet Sacerdotio Christi, sed hoc semper durabit vsque ad consummationem sæculi. Tertiò, Quia etiam munus huius Sacerdotij, scilicet oblatio Eucharistiæ, & peccatorum expiatio vsque ad finem sæculi perseverabunt. Hoc autem tempus, iuxta Scripturæ phrasim, dicitur æternum. Quarto, Quia etiam postea in omnem æternitatem perseverabit munus huius Sacerdotij in gratiarum actione & laude; & etiam in quadam repetitione oblationis præterita per affectum & approbationem.

*10 Sacerdotium Christi æternum quadrupliciter.*

ARTICVLVS VI.

*Vtrum Sacerdotium Christi fuerit secundum ordinem Melchisedech?*

**R** Espondetur Affirmatiuè. Est fidei. Psal. 109. v. 4. Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Quem locum Apostolus ad Heb. 7. 8. & 9. exponit de Sacerdotio Christi. Ut autem intelligatur, quomodo id fuerit:

*11 Hæretici de Melchisedech.*

Notandum Primò, Contra antiquos hæreticos (quorum aliqui dixerunt Melchisedech fuisse Spiritum S., alij virtutem quandam Christo maiore, alij Angelum speciem humanam) hunc fuisse verum hominem; ut patet Gen. 14. & ad Heb. 5. & 7. vbi Scriptura